



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla II. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](#)

TIT. ULT. DE REGULIS JURIS.

simonia in Extravag. commun. vel aliter indignus electus, cap. Quamquam 18, De elect. in 6, non posse dici canonice institutum. Similiter qui obtinuit à laico Ecclesiam vel Ecclesiasticum beneficium (etiam si laicus e judeum Ecclesia vel beneficii patronus sit) absque auctoritate Episcopi, vel alterius Superioris, cap. 4, cap. 8, cap. 10. & 15; De jure patroni sive alicui collatum est beneficium nondum vacans, c. 9, §. De concess. prab. vel si ipse, cui collatum est, laicus, cap. 2, De instant. cap. Cum adēt 7, De re script. vel Clericus conjugatus sit, cap. 5, De cler. conjug. Nam hi omnes canonice instituti non possunt, ut jam dicitur. Hujus Regulae rationem reddit D. Peckius hic, quod in Ecclesiam Dei non debet alius esse ingressus, quam per ostium, cuius claves praefectus Ecclesiastarum committuntur, qui eisdem clavis & Canonis regulis instituendos in eamdem Ecclesiam Dei intromittunt. Nam & hoc spectat Innocentius V. Constitutio in Concilio Lugdunensi, quā duobus de dignitate, personatu vel alio beneficio Ecclesiastico contendentibus, & altero per contumaciam absente, prohibet missionem fieri in possessionem beneficii, causā rei servanda (qua alioqui solet fieri in aliis causis, ubi reus ante litis contestationem contumaciter abest,) cap. 3, cap. 5, §. in aliis ut lite non contest. sed titulus, quo nimirum actor, praesens examinari debet; idque ut vitetur ingressus vitiosus in beneficium, hoc est, qui absque titulo est, sive canonica institutione, cap. unico de eo qui mittitur in possess. Quare & qui longo tempore beneficium

possedit absque institutione canonica, se defendere non poterit temporis præscriptio: cum id quod ab initio nullum est, tractu temporis non convalescat, cap. Non firmatur, & similiter dicimus infra eod.

Cui certè adversati videtur textus in cap. Cura 11, De jure patroni. Quo loco Ecclesia à laicis accepit præscriptione acquiruntur per Clericum, quasi nullo titulo præcedenti. Textus verba hæc sunt: Mandamus, quatenus ex donatione laicorum, nisi auctoritas Diocesanæ Episcopi & consensus assit, nullus vestrum aliquis sibi Ecclesiæ vindicare præsumat, vel retinere taliter acquisitas; nisi legitimâ præscriptione munitus, aut Diocesanæ Episcopi habuerit postea consensum Ex quibus verbis constat, donationem Ecclesiarum à laicis factam tunc valere, si auctoritas & consensus Episcopi intervenierit, aut ex posteriori consensu ejus accesserit; aut si Clericus legitimâ præscriptione munitus sit Sed responderetur, eam legitimam præscriptionem in d. cap. Cura intelligi, qua & bona fidei est; male enim possessor numquam præscribit, ut reg. seq. ubi & dicam latius. Unde constituendum est, textum eā specie loqui, quando possessor bona fidei est hoc est, quando credit Episcopum (qui suæ diocesos curam & inspectionem gerit) connovere, & quasi videntibus oculis dissimilare donationem Clerico à laico factam, & subsequenter consensum suum, licet tacitum, accommodasse, qui loco tituli est, vide Glos. & Panorm ad d. c. Cura, & qua haberit Covarr. ad cap. Possessor in 2, p. Relect. §. 10, n. 1, infra hoc sit.

REGULA II.

Possessor malæ fidei ulla tempore non præscribit.

Hec Regula desumpta est ex cap. 5, c. 17 in fine cap. 19, in fine & cap. fin. De prescript. Est autem præscribere rem aliquam acquirere per continuationem possessionis temporis à jure definiti, ut liquet exitus. Decretal. De prescript. & in 6, exitus. C. De prescript. lo. 11 temp. cum aliquot sit seqq. Vide latius in Summa nostra sub tit. de exceptionib. Ut autem præscriptioni locus sit, requirit hæc Regula nostra, ut possessor bona, non malæ fidei sit, hoc est, quod existimet rem, quam possidet, suam, non alienam esse; nam si dem hic pro conscientia accipimus, c. fin. De pra-

script. can. Si virgo xxxiv. quæst. 2, l. Bona fidei 109, D. De verb. signif. Et ratio Regulae est, quia is, qui malæ fidei est, peccat ex D. Pauli sententia, dum id quod ex fide non est, peccatum esse assertit, ad Rom. 14, in fine, iuncto §. illud circumdat de penit. dist. 3, nec minus in præceptum Decalogi incidit, quo aliena rei votum sive affectatio interdicta est, præcept. ubi Decal. Non doruni, iron sgrum. &c. Non igitur malæ fidei possessor præscribit, quæ tocumque etiam tempore, licet immemoriali, possideat, cap. 5, &c. fin. De prescript. cum rando sint graviora peccata, inquit alibi textus, quanto

556
quād diutiū infeliciem animam decinent alli-
gatam, cap. fin. & De consuetud. cap. penult. De con-
fus. Et hæc ad eò obtinet, ut necesse sit, non
tanum in initio præscriptionis bonam fidem
possessorem habuisse, verum etiam in progressu
& toto præscriptionis tempore; ob eamdem ra-
tionem, & per textus in d. cap. fin. De præscript. Quamvis
aliud iure civili receperum sit, quo sufficit à
principio bonam fidem habuisse, non autem ea
necessaria est ad perficiendam sive comprehendam
præscriptionem, l. usitata C. Densus cap. transform. l. Si
aliena o. in princ. D. De usurp. & usucap. 5. diutina
Inst. De usucap. Sed hoc iure non utimur, propter
peccatum, quod provenit ex conscientia scialic-
na; cùm generaliter, ait Innocentius III. in ge-
nerali Concilio Lateranensi, sic omni constitui-
tioni atque consuetudini derogandum, quæ abs-
que mortali peccato non potest observari, d. cap.
fin. De præscript. Vehinc in Camera Imperiali hæc
Regula nostra in multis præjudiciis comproba-
ta sit, contra ius civile, teste And. Gail. lib. 2. Obs.
18, n. 7.

Ab hac tamen Regula excipitur casus in cap. 1,
de præscripte, ubi Episcopus contra alium Episco-

pum triennio præscribit locum à se conversum
ad Catholicam unitatem; cùm tamen non igno-
ret eum esse alterius. Verum id sit auctoritate
sacrorum Canonum, quibus cùm omnes Ecclesias
subjectæ sint, & ab iis certam legem accipi-
ant, id certè, constitutæ potuerunt, ut res unius
Ecclesiæ alterius justa causa acquiri possit. Ita-
que realienæ fidem sustinent hoc casu sacri Ca-
nones in favorem Catholicæ religionis.

Quâ ratione etiam hoc iure recte defendi
poterunt præscriptiones carum rerum, quæ ob
non solutum vestigia, vel aliud delictum, in
commisum ceciderunt, etiam si is, qui possidet,
intelligat eas ad fiscum speckare, l. 2, C. De vitiis.
& commiss. cap. Cum secundum 19. De heret. lib. 6.
Quid enim prohibet Principem rebus in fiscum
seum illatis vel inferendis propter delictum,
hanc præscriptionem imponere? aut peram,
quam ipse statuit, certo modo abolere? nisi de
contraria ejus mente aliunde constaret, utia
specie cap. 2, De præscript. lib. 6, quâ in bonis hereti-
corum bona fides requiritur, quia id disertè ci-
veribidem S. Pontifex.

REGULA III.

Sine possessione præscriptio non procedit.

Deducta videtur hæc Regula ex cap. Caus-
am 7, de præscript. ex cap. 3, in fine De proba-
tionib. Cui similis extat texsus in l. Sme pos-
sessione 15. D. De usurp. & usucap.

Hac itaque Regula docemur, possessionem
planè necessariam esse ad præscriptionem, non
tantum iuxtam, verum etiam cùm demon-
tinuandam & perficiendam. Si enim medio tem-
pore, id est, ante completam præscriptionem,
possessio interrupta fuerit, cessat præscriptio,
cap. Illud 8, &c. Audit 15. De præscript. l. Naturaliter
5. D. De usurp. & usucap. Quod duobus modis con-
tingere potest; aut naturaliter, aut civiliter. Na-
turaliter, cùm quis de possessione sua vi deici-
tur, vel possessori res mobilis eripitur, d. l. Na-
turaliter. Item si res à mari vel à flumine occupe-
tur, l. 3, § Labeal. Pomponias 13, in princ. D. De acquir.
vel amitt. poss. Civiliter, hoc est, juris civilis aucto-
ritate, cùm possessor in ius vocatur, vel cum eo
litis contestatio sit. Nam per solam etiam cita-
tionem interrupitur præscriptio xxx. anno-
rum, l. 3, & l. Cum notissimi 7, in princ. C. De præ-

script. 30, vel 40, annor. per litis verò contesta-
tionem ea, quæ longi temporis est, l. Mora 16, C.
De rei vindic. Præscriptio verò triennalis neque
citatione, neque litis contestatione impeditur;
licer coepio judicio sine effectu currat, l. Si post
acceptam 18, D. De rei vindic l. 2, §. D. Pro emptore; ex-
cepis quatuor casibus quælibet recessetur, in l.
2, C. De annali excepte addo Glos. & da add. cap. Illud
& Balbum in tract suo de præscript.

Is autem postulare dicitur, qui alicui rei su-
nomine insultit, l. 1, in princ. D. De acq. vel amitt. poss.
idque etiam solo animo: nam licet ad acqui-
dam possessionem corpus & animus simul requi-
ratur, l. 3, in princ. & l. Quemadmodum 8, D. iam
d. tir. ad possessionem tamen retinendam sufficit
vel solus animus, velut in eo, qui peregrinè pro-
fectus, res suas domi reliquit, retinet enim hic
animus possessionem, l. Clavis 6, §. qui ad nundinas l.
Si quis ad 25, §. fin. & l. 3, §. in amittenda D. d. tit. 5.
possidere Inst. De interd. Addidi, suo nomine. Etiam
colonus, inquilinus, procurator, deposita-
rius, commodatarius & similes, id est posse-